

Candor est virtus vicina veritati, quae propter rationem probabilem approbat alienas voluntates et non habet malevolentiam, quaedam etiam ambigua flectit in meliorem partem ac bene quidem sperat, sed tamen vt de rebus mutabilibus cogitans posse mutari voluntates et posse hominem errare de aliena voluntate, cum non penitus aspiciantur latebrae humani pectoris.

5

Docilitas est virtus vicina modestiae et veritati, qua frenantur animi, ne sentiant de sese arroganter, nec admiratione propriae sapientiae contemnant aliena iudicia et conuicti veris sententij cedant.

Gloria est testimonium conscientiae recte iudicantis et approbatio aliorum recte iudicantium de virtute.

10

Modestia est virtus, qua in opinione de nobis et in sermone et gestu seruamus conuenientiam, videlicet, ne nobis in opinione aut in sermone maiora imbecillitate nostra tribuamus neue appetamus maiora neue in gestu discedamus a natura et personarum ac locorum ordine.

### [35:] Quae peccata prohibet?

Pugnant cum octauo pracepto mendacium, calumnia, suspicio, adulatio, 15 pertinacia in falsis sententij, praestigiae sophismatum in religione, in artibus et iudicijs, maledicentia, scurrilitas, obtrectatio, leuitas, violatio pactorum et foederum, ambitio, impudentia.

### Est ne omnis occultatio peccatum?

Duplex est occultatio: alia insidiosa, quae ex studio nocendi oritur, alia officiosa, quae est figura sermonis, quo aliquando sancti et sapientes cum magna laude vtuntur ad tegenda quaedam, quae non necesse est patefieri. Vetustas sic distinxit: Mendacium dixit aliud esse perniciosum, aliud officiosum, aliud iocosum.<sup>52</sup>

<sup>52</sup> Vgl. etwa Thomas von Aquin, Summa theologiae 2, II, q. 113 a. 2.